Quelle: http://manuscripta.at/?ID=30296
Copyright: Heiligenkreuz, Zisterzienserstift

presciierat languoris febre corripitur. Tabescente tamen licet corpore spiritu celestibus inhiabat, semper in celum intendens, semper ad alta suspirans, semperque horam venire desiderans, quando in gaudium domini sui fidelis dispensator et prudens assumeretur. Hoc solum molestie in corde preferens, quod commilitonem suum memoratum beatum Sinnicium pro separatione sui mesticia spacio peregrinum affici conspiceret. Cui quam sepissime inter consolationis verba ipsum quod et superius dixerat replicabat, scilicet non cum multo post ipsius abscessum spacio peregrinum intra futurum, sed anno expleto cursu illum se peculiari obitu secuturum. Una inquit peregrinari cepimus, uno labore desudavimus, uno spiritu viximus, uno quoque intermisso anno in una eademque die celesti in gloria denuo sociabimur. Tunc vero erit providentie, ut et corpora quoque nostra in domo ista terre pulvis contineat.

De hinc invalescente valitudine cum iam sue ereptionis horam adesse sensisset, vale faciens tam memorato beato presuli Sinnicio, quam et clero ceterisque fidelibus, acceptoque viatico in ipsis kalendis septembris glorioso transitu vir beatus cursum sue peregrinationis feliciter consummavit. Cuius exequiis digne celebratis sanctus Sinnicius corpus ipsius in ecclesia quam ipse in suburbio eiusdem civitatis construxerat cum ymnis et laudibus honorifice collocavit. Quibus peractis regimen utriusque ecclesie beatus Sinnicius ut sibi fuerat iniunctum religioso suscepit affectu. Quodque strenue ac viriliter toto anni studuit peragere spacio, ecclesias scilicet fabricando, plebes docendo, ministros quoque ecclesie prout oportunum erat et facultas novelle adhuc plantationis sinebat constituendo. Quique etiam cursu laboris sui beate consummato, cum iam diem vocationis sue quem vir sanctus predixerat imminere cerneret, omnibus ydonee dispositis ad urbem repedabat Remensem, hoc scilicet animo intendens, ut obedientie bonum quod vivens viriliter exercuerat, in mortis quoque termino fideliter consummaret, plebemque ipsius secundum iussionem beati Sixti rite disponeret, a presentis vite laboribus ibidem ipse etiam felici terminaret obitu. Preparari itaque sibi sepulchrum fecit iuxta sarcofagum beati viri, et imminenti die ut dictum est predicto infirmitatis cepit agi valitudine. Qui commonitione salubri plebem edocendo, et oratione supplici se ipsum sollicite domino commendando, cordis cum magno desiderio diem prestolabatur optatum. Quo adveniente, ut verax in omnibus beati Sixti vaticinium probaretur, die supradicta videlicet kalendis septembris etiam ipse beatam animam carne solutam celorum gaudiis angelico inferendam ministerio, socioque iungendam desiderato in Christi gloria gaudens representavit. Cuius excessum plebs Christo dicata graviter ferens luctu lacrimisque repleta patris plorabat absentiam. Quos tamen admodum fides consolabatur, quod et illi gaudendum cognoverant propter quod assumptus esset in gloriam, et sibi nichilominus dolendum, quod desolati essent utroque pastore. Corpus quoque ipsius in sepulchro, quod ipse sibi parari fecerat, cum honore et laude collocatum sepelierunt. Sicque factum est ut quemadmodum in vita sua mutua se dilexerunt caritate, ita quoque et in requie corporum sicuti et animarum inseparabiles iungerentur. Quo in loco memoria sanctitatis eorum miraculis et virtutibus exinde ad laudem nominis Christi insignis haberi evidentibus comprobatur indiciis. Hec putandum coronam illis defuisse martirii, quia licet persecutores defuerint, tamen crucem Christi in corpore suo iugiter circumferentes, quia quod animo proposuerant non segniter impleverunt.

.C. II. Sept. Passio s. Victorini et soc. eius. Severini

VICTORINUS et Severinus germani fratres post utriusque parentis obitum se invicem pedagogantes, pari custodia et motu obsequii emulantes, probabiles deo hostias obtulerunt, Placentine accole provincie. Hii cum legentes evangelia venissent ad locum illum: Si vis perfectus esse, vende omnia que habes et da pauperibus, et habebis thesaurum in celo, et veni sequere me, absolventes se a nexu seculi, omnibus distractis facultatibus, pauperibus divisis, nichil sibi preter se invicem relinquentes, expediti post dominum cucurrerunt. Alter itaque serviens alteri mutua vice et emula caritate servabat imperium, libertas nulli deerat, cum nichil haberent. Igitur Victorinus id ipsum quod separabant imperfectum computans, nec sibi satisfactum si alter liceret in altero, sic germanum allocutus est: Mi frater care magis ex confamulatu dei quam ex germanitatis vinculo, si deo vendidimus omnia ut expediti sequeremur dominum, cur mutua karitate separamur a deo? Nam cum mihi interdum quod tu in me iuris sit, nec mihi deest servitium nec tibi. Paret alter alteri, dum facio quod iubes, et quod iubeo facis, et non facimus quod iussit deus. Sumo indumentum tuum, tu meum, sic gemine sunt singule vestes, cum utriusque fuerint communes sunt. Heremum peto quia perfectos facit. Cumque dictis vale fecisset, se tugurio eliminat, silvas petit vicini montis quem dicunt Placentinum, nec defuit habitaculum quod natura prestiterat, sedit in specu excelse rupis, quod subterfluentis aque geminum sinuarat abruptum uni

Ist[...] fue[...] vel no[...] [illegible]